DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA DE TRIBUS JURISJURANDI COMITIBUS

QUAM
ILLUSTRIS JCTORUM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
PERMISSU
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
RITE CAPESSENDI
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
SUBJICIT

ERNESTUS HENRICUS BOSE
LIPSIENSIS.

DIE XXIII. NOVEMBR. AN. MDCCXXXI.

LIPSIÆ
TYPIS JOH. HENRICI RICHTERI.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

Proëmium inſtituti rationem exponit.

Cap. I.

§. I. Diſtinctio inter *Jusjurandum, Juramentum* & *Sacramentum,* non agnoſcitur.

§. II. Quando proprie *Jusjurandum* vel *Juramentum,*

§. III. Quando *Sacramentum* juxta nonnullos dicendum, oſtenditur.

§. IV. Veteres JCtos, uti & Imperatores, diſtinctionem inter *Juramentum* & *Jusjurandum* obſervaſſe, a poſterioribus autem JCtis, & ipſo *Juſtiniano* has voces promiſcue adhibitas eſſe, proponitur.

§. V. Aliquando Juramentum etiam *Dejurium* dici, & unde? exponitur.

§. VI. Jusjurandum ſæpe vocari *Religionem,* inter quæ duo diſtinguendum non eſſe docetur.

§. VII. Definitio Jurisjurandi ſiſtitur.

§. VIII. Tranſitio ad Cap. II.

Digitized by Google

Cap. II.

§. I. Nullum valet Jusjurandum, ubi tres comites, *Veritas*, *Judicium* & *Juſtitia*, non occurrunt.

§. II. Veritas deſcribitur.

§. III. Veritatis variæ diviſiones; In Jurejurando præprimis *veritas moralis* requiritur.

§. IV. Mendacium in jurante improbatur, & *Robertus Sanderſonus* notatur.

§. V. Diſtinctio inter mendacium *officioſum*, *jocoſum*, & *damnoſum* rejicitur.

§. VI. Omne jusjurandum præſtandum eſt juxta intentionem & mentem deferentis. Hinc

§. VII. Reſervationes mentales, ſeu verba amphibologica ſerio improbantur.

§. VIII. Quæſtio: *An jurans, qui certo ſibi perſuaſum habet, rem ita ſe habere, quæ tamen aliter ſe habet, perjurium commiſiſſe dicendus?* deciditur.

§. IX. Reſolutione quæſtionis: *An in juſta cauſa mentiri liceat?* hoc caput finitur.

Cap. III.

Cap. III.

§. I. Judicium, in materia juramentorum a JCtis pro diſcretione mentis accipi, & cur hic opus ſit Judicio, ſimul adducitur.

§. II. 1. Infantes, 2. Infantiæ proximos, 3. pubertati proximos, porro

§ III. 4. Prodigium, 5. Furioſum, 6. mente captum,

§. IV. 7. Ebrium, ac denique

§. V. 8. Amantem, ob deficiens judicium ad præſtationem juramenti admittendos non eſſe, tractatur.

§. VI. In reliquis quibusdam caſibus, ubi juramentum eſt invalidum, Lector ad *Lynckerum* ablegatur.

§. VII. Vetus pronunciandi modus, quando a minorennibus erat jurandum, Doctorumque Saxonicorum diſſenſus circa Clauſulam: biß er ſeine mündigen Jahre erreichet, exhibetur.

§. VIII. Quomodo lis hæc omnis per *Ord. Proc. Nov.* ſit ſublata.

Digitized by Google

Cap. IV.

§. I. Juſtitia extollitur.

§. II. Juſtitiam a quolibet, cujuscunque ſit conditionis, obſervandam eſſe docetur. Verba *Ciceronis* hac de materia allegantur.

§. III. Juſtitiam, ad duo, in materia juramentorum a Doctoribus plerumque redigi, interque ea *primum* ſcil. *ut jurans non niſi per verum Deum juret*, perhibetur.

§. IV. Ad quæſtionem: Si nobis negotium ſit cum tali homine, qui a Chriſtianis diverſam amplectitur religionem, an juramentum illi deferri, ac formula juratoria religioni juraturi, licet falſæ, attemperanda? affirmative reſpondetur.

§. V. Objectiones removentur.

§. VI. Ut juramentum juſtum ſit; ſecundo requiritur, *ut facta, de quibus juratur, ſint honeſta & poſſibilia.*

§. VII. Quæ facta illicita dicenda, inquiritur.

§. VIII. Cur de rebus factisque licitis & honeſtis tantummodo jurandum? demonſtratur.

§. IX. Circa quæſtionem: *An Juramentum, quod quidam alteri præſtitit, de re ſibi concredita non detegenda, juſtum & ſervandum ſit?* diſtincte procedendum, monetur.

§. X. Finis diſſertationi imponitur.

PROE-

Digitized by Google

PROEMIUM.

Miraberis forte, L. B. materiam vulgarem atque tritam in præſenti proponi diſſertatione; Et, ſi verum dicendum, materia de jurejurando, omnino adeo eſt nota, ut in plerisque judiciis quotidie fere occurrat, tam in cauſis civilibus, quam criminalibus; Cum ibidem nunc juramentum calumniæ, nunc delatum, vel relatum, nunc teſtium, nunc ſuppletorium, nunc paupertatis, nunc malitiæ &c. in Criminalibus autem tam teſtium, quam purgatoria ſæpiſſime præſtentur; Nihil adferendum cenſeo, de juramentis non ſingulis diebus, ſed & ſingulis horis & momentis extrajudicialiter, temere, ſine ullâ deliberatione, nemine poſcente, ſed tantum ex prava, immo peſſima conſuetudine proferri ſolitis: Haud enim paucis in more poſitum eſt, omnia ſua leviſſima, nulliusque momenti aſſerta jurejurando confirmare, non ſine ſumma ſummi Numinis profanatione. Quis itaque rebus ſic ſtantibus materiam de jurejurando non eſſe in vulgus notam, aſſerere dubitabit? Sit ita; quo magis vero

Digitized by Google

eſt uſitata, eo magis cavendum quoque, ne indiſtincte, ne in quibuslibet cauſis, ne adeo faciliter, nec ab omnibus promiſcue præſtentur juramenta; Miſerrimo enim primorum hominum lapſu, & animi & corporis humani perfectionem ita depravatam comprehendimus, ut fere nullo non momento in ſanctiſſimam Dei voluntatem, creaturas ad alium, quam in quem a Creatore deſtinatæ erant, uſum adhibendo homines impingant. Si enim alias ullibi, certe in juramentorum præſtatione hominum plerorumque levitas, corruptio atque pravitas deprehenditur; Sedulo autem nihilominus Judices & Cauſarum Patroni obſervent, ne nimis faciles ſint in judicando atque conſulendo, quoad juramentorum præſtationes, ne hoc ipſo occaſionem delinquendi præbeant, propriamque lædant conſcientiam, cum in hac mundi fece multi ad pejerandum admodum proclives inveniantur. v. c. 5. 6. & 13. XXII. qu. 5. Gravitas itaque hujus materiæ, ubi non de lana caprina, ſed hominum ſalute æterna agitur, tam a prudente Judice, quam a quolibet alio cordato JCto probe eſt ponderanda; Quam ob rem nemo mihi vitio vertet, ſi in hac conſcientioſa, perutili ac neceſſaria materia, vires ingenii exercere voluerim. Ita autem procedendum, ut totam diſſertationem in IV. dividam Capita; Ubi

Cap. I. De Jurejurando in genere quædam allaturus.

Cap. II. De primo Comite, VERITATE.

Cap. III. De ſecundo, JUDICIO, &

Cap. IV. De tertio, JUSTITIA, dicturus ſum.

Adſit ſummum & immortale Numen conatibus meis!

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA DE TRIBUS JURISJURANDI COMITIBUS.

Cap. I. De Jurejurando in genere.

§. I.

Nodum in ſcirpo quærere videntur, qui nimis ſcrupuloſe inter *Jusjurandum*, *Juramentum* & *Sacramentum* diſtinguunt; Promiſcue enim JCti plerique his terminis utuntur; Et, ſi rem accurate perpendere velimus, nec theoretice hæc diſtinctio vera videtur. Hoc certo certius: Praxis hujus diſtinctionis uſum omnino ignorat. Quando vero ex mente diſſentientium unum vel alterum ex dictis vocabulis ſit adhibendum, breviſſimis adducemus.

§. II.

Jusjurandum ſcil. dicendum eſſe: *ubi res eſt controverſa;* Juramentum autem *de re non controverſa* eſſerendum putant. v. Gomez. *ad* §. 2. *Inſt. de Act. num.* 1.

Digitized by Google

Setzer. l. *de Juram. l. n. 3.* Bocer. *Claſſ. I. diſp. 8. th. 2.* Horum aſſerto tamen graviſſime refragatur Paulus *in l. 25. §. 3. ff. de probat.* Verba digna ſunt, quæ hic transſcribantur; *In omnibus autem,* dicit, *viſionibus, quas propoſuimus, licentia concedenda eſt ei, cui onus probationis incumbit, adverſario ſuo de veritate* jusjurandum *inferre, prius ipſo pro calumnia jurante, ut judex* juramenti *fidem ſecutus, ita ſuam ſententiam poſſit formare, jure referendæ* religionis *ei ſervando.* Luculenter ex his apparet, quod plane promiſcue JCti vocibus: *jurisjurandi, juramenti, & religionis* utantur.

§. III.

Sacramentum vero proprie dici, quidam ſibi perſuadent, quoties res ſacra in jurandi actu intervenit, & a jurante tangitur. v. g. *Si juretur ſuper ſanctis bibliis;* Sic etiam olim juraturi altare tangebant. *vid.* Flor. *Lib. 2. hiſt. cap. 6.* vel lapidem manu tenebant, quem poſtea projiciebant, unde quoque proverbium dimanavit: *Jovem lapidem jurare.* Sic veteres Chriſtiani in templis, tacto alicujus Martyris ſepulchro, jurabant, *l. 12. §. pen. C. de reb. cred.* Poſtea mos invaluit, ut propoſitis ſanctis Evangeliis juretur. *L. 14. C. de judic. l. 2. in f. C. de jurejur. propt. calumn.* qui ritus etiam *in aurea Bulla, Cap. 2.* Electoribus præſcribitur. Sic adhuc hodie Judæus in Hungaria juramentum præſtiturus, contra ſolem verti, & nudis pedibus ſtare debet, chlamyde vel pallio indutus, & pileo judaico caput tegens, codicemque legis, quem tabulam Moyſis vocant, manu ſua tenens; *prout ex* Sambuc. *P. 3. jur. conſuetud. Hungar. tit. 36. notat* Lymnæus *Jur. publ. Lib. 3. cap. 2. n. 39.*

Digitized by Google

Conſ. *Ord. Cam. P. I. tit. 86. n. 6.* ZIGLER. *de juribus Judæor. cap. V. §. 5.* Ubi itaque ejusmodi tactus rei ſacræ intervenit, *Sacramentum* dicendum eſſe, putant; Quia vero verba *Jusjurandum, Juramentum* & *Sacramentum*, ſæpe pro eodem ſumuntur, ut conſtat ex *Tit. D. & C. de jurejur. de in litem jurand.* ex Auth. *Sacramenta puberum. C. ſi adverſ. vendit. j. II. feud. 35. de pace tenenda inter ſubdit. §. item ſacramenta puberum. 3. l. 2. §. 1. 5. 6. ſeq. C. de jurejur. propter calumn. dand. l. 8. C. de legat. l. 22. §. 14. in fin. C. de Jure deliberand.* Quod non ſaltim in Civili, ſed etiam Canonico jure procedit. v. *c. II. XXII. qu. 4.* fatente PANORMIT. *in Rubr. X. de jurejur.* & BEUST. *in Rubr. D. de jurejur. n. 29.* merito hæc ſubtilis obſervatio inutilibus annumeratur.

§. IV.

Hoc interim negari nequit, veteres JureConſultos accurate obſervaſſe diſtinctionem *juramenti* & *jurisjurandi*; Ita ut *juramentum* dixerint quodvis aliud ſuper re non controverſa interpoſitum; *Jusjurandum* vero ſuper re controverſa præſtitum, quaſi quod eo decidantur cauſæ merita, nempe quod juris ſit; hoc eſt, ut quis juret de jure ſuo; quod ex eo confirmatur, quod *ſub tit. ff. de jurejur.* nunquam *juramentum*, ſed ſemper *jusjurandum* dicatur juramentum illud, de jure controverſo, de quo ſub illo titulo tractatur; Idque diſcrimen Imperatores quoque obſervaſſe, ex conſtitutionibus eorum *ſub tit. C. de rebus cred. & jurejur.* poſitis apparet; Cum vero poſteriores Juris Conſulti hoc diſcrimen amplius non obſervaverint, ſed promiſcue his vocibus uſi ſint, (exemplo Juſtiniani, qui & ipſe *in l. pen. C. d. tit.*

Digitized by Google

ea confundit) idemque etiam poſtea a Pontificibus Romanis factum fuerit, hodie hæc diſquiſitio ſupervacua videtur. v. SEZTER. *de jurament. Lib. 1. cap. 1. n. 3.*

§. V.

Aliquando juramentum etiam vocatur *Dejurium*, a verbo dejurare, quod eſt vehementer & valde jurare, vel, uti Germani efferunt, Stein und Bein ſchweren, hinc *διωμοσία*, dejeratio, ein hoher, theurer Schwur; vocula enim *de*, intenſionem hic notat, ſicut & in *deamare, demirari* & ſimilibus. Sic PLAUTUS *in Caſin.* Per omnes Deos Deasque dejeravit. Et *in Rudent.* dejura te mihi argentum daturum. Et TERENT. *in Hecyra* dejerare perſancte. Item GELL. *Lib. 7. Noct. Attic. c. 18.* dejurio vinctum eſſe. *i. e.* jurejurando obligatum teneri.

§. VI.

Jusjurandum in legibus noſtris, nominatim *in l. 24. & 25. ff. de jurejur. leg. 4. §. 1. ff. de in litem jur. l. 25. §. 3. ff. de Probat.* & alibi etiam *Religio* appellatur. Et quamvis *in l. 1. ff. de jurejur. & leg. 2. C. de rebus cred.* jusjurandum & religio videantur ſibi opponi, & religio a jurejurando ſeparari; ſit tamen hoc tantum *ſecundum quid*, & reſpectu habito ad Deum, cujus cauſa religio jurijurando ineſſe dicitur: Sicuti enim per religionem Deo obligamur, ita etiam per jusjurandum, ceu cujus contemta religio Deum ultorem habet, quod ipſe Imperator *l. 2. C. de reb. cred.* confitetur. Unde etiam jusjurandum interdum ſimpliciter religio dicitur; interdum religio & jusjurandum conjunguntur. v. ANT. FABER.

Faber. *in Rational. ad l. 1. ff. de jurejur.* Hoc enim nemo in dubium vocabit, religioſa obſervatione jurisjurandi Deum inſigniter celebrari; Nam confitemur eo actu Dei omniſcientiam, juſtitiam, & ſupremum in res humanas præſidium, noſtram vero ſubjectionem, reverentiam, & ultimum ad Deum refugium, ſub cujus fide neminem fallere aut falli pro certo aſſumi queat; Hinc dicunt communiter jurisjurandi præſtationem, ſpeciem eſſe cultus divini, quod, qua ratione accipiendum, ex dictis facile colligi poteſt.

§. VII.

His ita poſitis, deſcribitur juramentum, quod ſit *invocatio nominis divini, ut Deus noſtri aſſerti ſit teſtis, & perfidiæ vindex. Deut. c. 10. v. 20.* Struv. *Exerc. 17. th. 2.* vel ex conceptu generico, *cultus divinus* ſecundum Osiand. *ad Grot. Lib. 2. c. 13. th. 1.* Sequitur exinde, juramentum per falſos Deos non obligare ex vi juramenti; Intentio enim erronee jurantis non efficit, ut Deus ſit, quem invocat *Deum*, neque unquam in caſu vero operatur fictio idem, quod veritas, ſeu uti Fagund. *in præcept. Decal L. 2. c. 1. n. 1.* declarat; Ad valorem juramenti requiritur, ut res, per quam juratur, ſit in ſe ſacra, & non in exiſtimatione hominum; Eſt enim juramentum actus religionis in ſe ſumptæ, & non in exiſtimatione hominum. *Clarius*, juramentum eſt ſpecies divini cultus, invocatio infallibilis judicis, & vindicis ſeveriſſimi. Quomodo autem vel idolum infallibilis judex, aut impius de Deo ſenſus, vera religio? v. Lessius *Lib. 2. de J. & J. c. 42. n. 5.* Tenebitur itaque Ethnicus ex conſcientia erronea, quæ habet vim

 obli-

Digitized by Google

obligandi, ſub ea, qua concipitur, ratione. STRUV. *c. l. th. 5.* OSIANDER *ad Grot. c. l. th. 12.* Conf. PUFFEND. *de O. H. & C. cap. 11. §. 1.*

§. VIII.

Varias juramenti diviſiones, poſt expoſitam definitionem, hoc loco addere animus nunquam fuit, nec inſtituti patitur ratio, quia, quæ dicta ſunt, nobis ſaltem ideo dicenda videbantur, ut ſciamus, quid ſit juramentum? Diviſiones enim & diſtinctiones juramentorum, in omnibus fere Juris compendiis facillimo negotio evolvi addiſcique poſſunt. Qua de cauſa relictis omnibus reliquis, ad hanc juramentorum materiam ſpectantibus, ſine ulteriori mora, & omiſſis ſingulis verborum ambagibus, progrediendum cenſeo ad

CAP. II.
De Veritate
I. Jurisjurandi comite.

§. I.

JUsjurandum tam jure divino & humano permiſſum eſſe, & Chriſtianos quoque ſine ſcrupulo conſcientiæ jurare poſſe, nemo eſt qui inficias ire audebit. Cum tamen in hac ardua materia caute cuilibet *Judici, deferenti, referenti, ipſique juraturo,* procedendum ſit, jamjam dicta non aliter accipienda cenſeo, quam ſi in quolibet juramento, ſive ſit *judiciale*, ſive *extrajudiciale, delatum, relatum, ſuppletorium* ſive *purgatorium*

Digitized by Google

torium &c. tres neceſſarii comites obſerventur. De quibus comitibus in ſubſequentibus, & in ſpecie hoc capite, de I. nimirum *Veritate* agendum erit. De his comitibus autem evolvi merentur *Sacræ Pandectæ* apud *Jerem. Cap. IV. v. 2.* ubi in latina verſione (vulgata) expreſſa hæc extant verba: *& jurabis, vivit Dominus* in *veritate* & in *judicio* & in *juſtitia.* Quo ex fonte deinde illa Juris Canonici dicta promanare videntur, nempe *c. & jurabunt. 7. C. XXII. qu. 1. porro c. animadvertendum 2, XXII. qu. 2. & cap. Etſi Chriſtus 26. X. de jurejur.* ex quorum locorum perlectione, quod per comites in jurisjurandi materia, nil aliud, quam *veritas, judicium* & *juſtitia* intelligatur, unicuilibet facillimo patebit negotio, ut propterea termini *Comitis* enodatio critica, tuto omitti, tempusque rei ipſi impendi eo celerius queat.

§. II.

Veritas autem, de qua hoc capite dicendum erit, deſcribitur, quod ſit *declaratio animi noſtri, per verba animo congrua, facta ei, qui iſtam ex jure perfecto, vel imperfecto petere poteſt.* Vel juxta TITIUM *Obſerv. ad Puffend. Lib. 1. Cap. 10. obſerv. 251.* Veritas eſt voluntaria ſermonis, conſueto conſenſu intellecti, & rei convenientia, ex obligatione profecta. Verba itaque animi noſtri ſenſa commode repræſentare debent alteri, cui eadem intelligendi jus, quæque ut ipſa aperiamus, nobis obligatio perfecta (*v. g.* ex pacto vel lege) aut imperfecta (*e. g.* ex humanitate) incumbit *v.* PUFFEND. *de O. H. & C. Lib. 1. cap. 10. §. 7.* Veritas enim nullo modo omittenda, cum omnia vincat, & ſit ſuper omnia amplectenda & amanda *v.* SERAPH. *de* SERAPHIN.

de

Digitized by Google

de Privileg. jurament. Privil. 132. n. 7. Quam ob rem, quando præprimis veritatem ad juramentum requirimus, nihil aliud hoc ipſo intelligitur, quam quod ſigna externa convenire debeant cum animo, ne mendacium proferatur v. THOMAS *in Jurisprud. divin. L. II. c. 9. §. 69. & 103.* Hinc juraturus in conſcientia ſua omnino ſciat certe, vel credat certe, ſe verum jurare, ſi pœnam perjurii, & Dei vindictam evitare velit. Conf. ZOES. *ad ff. de jurejur. n. 10.*

§. III.

Veritatis diviſiones permultæ adducuntur; Eſt enim alia veritas, quæ dicitur *Methaphyſica*, alia *Ethica*, quæ alias *veracitas* vocatur & ἀλήθεια. conf. TREUER *ad Puffend. d. O. H. & C. Lib. I. c. X. n. 7.* alia *neceſſaria*, alia *contingens*, alia *æqualis*, quæ in carentia falſitatis convenit cum alia; alia *inæqualis*, quæ in eſſe veriori fundatur, quam hæc vel illa: alia *nota*, alia *ignota*; de quibus conſulantur Methaphyſici, v. SCHARFF. *diſputatt. Methaphyſicar. VII. de veritate §. 59.* De ſingulis enim hoc loco dicere inſtituti ratio non permittit, quia hoc ſaltem impræſentiarum eruendum eſt: in juramenti præſtatione requiri *veritatem moralem*, quæ eſt virtus, in voluntate exiſtens, ordinata ad verum ſemper loquendum, & dicendum juxta mentem v. MÜLLER *ad Struv. Syntagm. Lib. 12. tit. 2. §. 13.* Hinc veritas moralis cum veritate Logica non ſemper per omnia convenit; uti recte docet *Puffend. c. l. §. 17.* qui enim *e. g.* ſecreta non manifeſtanda propalat, qui obſcœna, quæ ſcit, incivilia, inverecundia profert, is veritatem quidem logicam dicit; Sed, dum contra officium facit, cum morali noſtra veritate ea coincidere, vel pro legitima haberi nequit.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Quia res eſt expedita, omne juramentum capere vigorem ex mente ejus, cui obligamur; illius enim gratia præſtatur, ut ſcil. ſecurus ſit; ſua ſponte ſequitur mendacium a jurante abeſſe debere longiſſime. Juramentum enim tendit eo ex parte ejus, qui ſibi jurari curat, ut homines ad enunciandum verum, aut ſervandum promiſſum firmius adſtringantur, metu divini Numinis omnipotentis, & omniſcii, cujus vindictam, falſo ſcil. præſtito juramento, in ſe invocant. Ad *duo* igitur ſtricte jurans obligatur, *primo*, ut verba animo congruant, *ſecundo*, ut factum congruat verbis. vid. GROT. *de J. B. & P. Lib. II. c. 13. §. 13.* Intuitu quorum Deus non ſolum ut *Teſtis*, ſed & ut *vindex* advocatur. Quapropter ſine limitatione aut correctione non eſt admittenda ROBERTI SANDERSONI, Theologi & Epiſcopi Angli, *in Prælect. de juramenti promiſſorii obligatione, Prælect. 1. Sect. II. & præſertim IV.* ſententia, ſtatuentis: Deum tantum ut Teſtem, non ſimul ut vindicem & judicem veritatis in juramentis invocandum eſſe. Verba enim ejus ita ſe habent. *Sect. IV. Deus adducitur non ut pars, ſed ut teſtis. Dixi autem,* pergit, *in definitione Deum teſtem ἁπλῶς & præciſe, non autem judicem & vindicem eſſe, quod tamen a nonnullis eſt additum, bene quidem, ſed fortaſſe non neceſſario. Et abeſſe debet a definitione omne ſuperfluum.* Quæ opinio tamen merito negligitur, quia multi ad perjuria committenda jam ſunt proclives, & ſi præterea nullam perjurii pœnam, ſive vindictam divinam expectare deberent, perplures ad perjuria invitarentur,

tur, qui tamen metu vindictæ Summi Numinis arceri a perjurio poterunt, de quibus conf. CARPZ. *P. II. C. 16. d. 6.*

§. V.

Dum diximus, mendacium, *quod conſiſtit in diſconvenientia verborum cum rebus animique ſenſibus ex officio manifeſtandis*, a juraturo longe abeſſe debere, hoc adhuc addere nulli dubitamus: *Omne mendacium*, dum eſt officio contrarium, *eſſe doloſum*, propterea que notam alias mendacii diſtinctionem inter *officioſum, jocoſum, & damnoſum,* ſolido non niti fundamento: Duæ enim priores ſpecies ad *ſimulationes* vel falſiloquia referendæ ſunt, Certe jure Canonico res eſt expedita, quia inter juramentum & loquelam noſtram nulla debet eſſe diſtantia, *v. c. 13. XXII. qu. 2.* Igitur hoc jure, ſicut jocoſitatis aut pietatis cauſa non pejerare, ita nec mentiri licebat. Atque ita ſentiunt Canoniſtæ communiter, vid. COVARUV. *Lib. 1 var. reſol. Cap. 2. n. 1.* Alii aliter ſentiunt, v. LEHMANN. *ad Puffendorf. de O. H. & C. lib. 1. c. X. §. 2. p. m. 334.* Conf. TITIUS *Obſerv. ad Puffendorff. 255.* BRUNNEM. *ad L. 11. n. 11. ſeqq. ff. de interrogat. in jure faciend. v. c. 8. XXII. qu. 2.* ubi Auguſtinus octo mendaciorum genera recenſet.

§. VI.

Quoniam Veritas vult, ut nil falſo juretur, cum finis juramenti ſit teſtatio veritatis, & Deus in teſtem vocetur tanquam veritas prima & infallibilis; Hinc ſequitur

Digitized by Google

quitur, non jurandum per Amphibologiam, ſeu *ad mentem propriam retentam*, ſive juretur in judicio, ſive extra: Alias enim facile nomen Dei aſſumeretur in deceptionem, & omnis propemodum veritas juramentorum labefactaretur, ſi liceret aliud verbis jurare, aliud mente occulere, contra principia humanarum actionum. Sane Deus non verba ſpectat, aut requirit, ſed mentem & ſententiam, vid. HIERONYM. *in Epiſtol. ad Gal. 1.* Et huc referenda ſunt præcepta JCtorum & omnium ſaniorum Philoſophantium. Qui ſcientiam, ſeu notitiam atque aſſenſum, nequaquam in verbis, ſive in ſono & cortice verborum collocant, ſed in mente & intellectu vero & genuino. conf. *l. 17. de legib.* Hinc TABOR. *de confrontatione, C. III. §. 3.* Quodſi, *inquit*, aliter ſtatuerimus, & verba quemlibet ſuo modo ſuoque ſenſu accipere permiſerimus, quid aliud efficiemus aut exhibebimus Eccleſiæ, quam religionem *a ſuo modo*, ut Itali, ſive *a la mode*, ut Galli loquuntur, *h. e.* variam, vacillantem, verbalem, Diabolicam, & uno verbo nullam.

§. VII.

Minus itaque Chriſtianæ ſimplicitati conſentaneum eſt, nec ſatis probum viro bono, uti verbis amphibologicis, ſive reſtrictione ſeu reſervatione mentali; Juramentum enim omne intelligendum eſt ſecundum intentionem ejus, cui juratur, vid. STRUV. *Ex. XVII. th. 18.* BRUNNEM. *ad l. 3. ff. de jurejur.* quia hunc certiorem reddere per juramentum debemus; Longiſſime

propterea verba ambigua, æquivoca & reſervationes mentales abeſſe debent a jurante; Si enim aliter verba intelligam ac protuli, non certum reddo alterum, ſed decipio: Et conditionem jurisjurandi ab alio acceptans, eo modo ſe ad jurandum obligat, quo alter deſiderat, vel judex ipſe præſcribit; Atqui alter juramentum rei conveniens, & ſenſum juramenti negotio ac intentioni ſuæ aptum deſiderat, ergo jurans quoque, ut ita juret, obligatus erit. Sicut enim ab initio in jurantis arbitrio poſitum erat, an velit jurare? Sic poſt acceptationem juramenti ſemet etiam deferenti obligavit, ut certa ratione juret; Quodſi ergo grave alias eſt fidem fallere, *v. l. 1. pr. ff. de conſt. pec.* omnino nefas erit ac piaculum ſub juramenti fide fallere, & ſub religione divini Numinis mendacium committere. Et quæſo! quænam ſecuritas in juramentis, ſi unicuique liceret juxta id, quod mente reſervavit, juramentum interpretari? Hoc modo enim id, quod eſt ſubſidium fidei, fieret inſtrumentum fallendi; Imo, quia juramentum eſt expediendarum litium maximum remedium, *l. 1. ff. de jurejur.* tota ejus definitio hoc caſu everteretur, & ita augerentur magis lites, nihilque certi definiretur. Ex quibus facili negotio colligi poteſt: *qui aliter jurat ac debebat, perjurium committit.* vid. Stryck. *Diſſ. de J. S. X. C. III. n. 19. ſeqq.* hinc is demum laudatur in *Pſalm. XIV. qui jurat proximo ſuo, & non decipit.* Veritas enim exigit, ut quis mente & animo illa vera reputet, quæ verbis exterioribus ſub juramenti fide profert. Quam ob cauſam juramenta neutiquam interpretanda ſunt ex reſervatione illa mentali

Digitized by Google

tali jurantium, ſed ex mente & intentione illius, cui juratur: quia reſponſio, ſive juramentum, ad interrogationem quærentis, *vel juramentum deferentis*, ſe referre debet, idque expreſſe *ipſo jure Canonico* traditur, *c. 9. XXII. qu. 5. ibi: Quacunque arte verborum quisque juret. Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille*, cui juratur, intelligit. vid. Struv. *S. J. C. Ex. XVII. §. 18. ibique Müller.* Thomas. *in Jurisprud. divina, Lib. II. C. IX. §. 70. 71.* Non enim placere debet Lysandri Spartani dictum: viros fallendos eſſe jurejurando, pueros autem aſtragalis.

§. VIII.

Occaſione dictorum quæritur: *An jurans, qui certo ſibi perſuaſum habet, rem ita ſe habere, quæ tamen aliter ſe habet, perjurium commiſiſſe dicendus?* Primo intuitu videtur, quod ſic; Eſt enim una tantummodo, eaque ſimplex veritas, quæ *materialiter* hic deficit, ut hinc materiale perjurium hoc dici queat: Verum enim vero, cum juramentum ſit expreſſio cogitationum mentis, ut conſtet, quid jurans animo ſentiat, & quid ita verum æſtimet, mendacium commiſiſſe dici non poterit, ſi illud proferat, quod certiſſime ita eſſe credit, & per conſequens nec perjurii reus erit, modo *debita diligentia adhibita*, verum eſſe certo credat, quod profert. vid. Zoes. *ad ff. Tit. de Jurejur. n. 77.* Non enim omnis, qui falſum dicit, mentitur, ſi credit & opinatur, verum eſſe, quod dicit. Augustin. *lib. 1. de mendac. cap. 2.* Brunne-

 mann.

Digitized by Google

MANN. *ad leg. 11. n. 10. ff. de interrogat. in jure fac.* ubi ſimul oſtendit, omnino inter ſe differre: *mentiri & mendacium dicere.*

§. IX.

An vero in juſta cauſa mentiri liceat, quæritur? v. g. *ſi quis mutuo ſecreto centum accepiſſet, & ea ſecreto ſolviſſet, ac a Creditore quaſi non ſoluto debito conveniretur,* quid tum faciendum? *Anne mentiendum, & mendacium alio mendacio eludendum?* Ita volunt quidem DECIUS *in l. 65. n. 3. ff. de R. J.* MYNS. *Cent. III. obſ. 6.* Quorum ſententia tamen nobis non arridet, ſed potius ſtatuendum videtur cum ALCIATO *in dict. leg. n. 11.* Nunquam convenire gravi bonoque viro magis victoriam, quam veritatem quærere; Qui enim victoriæ potius, quam veritatis eſt ſollicitus, incidit in vitium prudentiæ contrarium; Juſta quippe cauſa juſtis eſt argumentis vincenda; præſertim cum tanta ſit veritatis vis & potentia, *Autore* TULLIO *in Catilinam,* ut nullis machinis aut arte poſſit ſubverti, & ſeipſam ſine Patrono tueatur ac defendat; Nec unquam ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona, nec malum pro malo reddendum, docet PAULUS *ad Rom. XII. v. 17.* Et ſane ipſum juramentum calumniæ, quod a partibus in quacunque litis parte, ſi poſtuletur, præſtari debet, omne mendacium ſaltem officioſum (*vid. ſupra §. 5.*) vel, ut alii vocant, neceſſarium excludit.

CAP. III.

Digitized by Google

Cap. III.

De Judicio

II. Jurisjurandi Comite.

§. I.

Judicium, de quo nobis hoc capite agendum, eſt verbum πολύσημον, variis enim modis accipitur, uti communiter explicant Doctores ad Titulum Digeſtorum de judiciis; Nobis hic ſufficiat ſignificatus ex *l. 12. §. 2. ff. de judic.* ubi pro diſcretione mentis & animi, a JCto ſumitur judicium; Judicio autem & prudentia hic omnino opus eſt, tum ut quis intelligat & ſciat, quid, de quo juret, *a. c. parvuli, 14. XXII. qu. 5.* tum ob reverentiam divini Numinis, ne temere & de re levis momenti, nec tamen timide, *l. 8. de condit. inſtitut.* juret. Hinc uti recte monet Grotius *de J. B. & P. Lib. II. C. 13. §. 2.* animus rationis compos & deliberatus hic requiritur, alias enim juramentum redditur incautum & temerarium. Intellectum igitur rei, de qua jurandum, & voluntatem ſimul habere debet, ſi unum ex his duobus deſit, juramentum invalidum inutileque dicendum.

§. II.

Ex dictis ſua ſponte fluit 1) regulariter non valere juramentum infantis, ſive ſeptem annis minoris; igno-

ignorat enim, quæ videt, *l. 1. C. de falſ. Mercat.* nec habet diſcretionem, *l. 9. ff. de acquir. hæred. l. ult. ff. de Jur. & fact. ignorant.* Carpz. *P. I. C. 24. d. 12. n. 4.* quid, quod carere videatur omni intellectu & conſenſu, adeoque deficiat natura, ex qua obligatio naturalis oritur, *l. 1. ff. de pact.* adeo, ut, etſi interdum actus rationi confirmatæ congruos, aut ſermonem factis convenientem edat, tamen *judicio* carere dicatur, eamque ob cauſam furioſo æquiparetur, *l. 5. ff. de R. J. j. §. 9. J. de inutil. ſtipul.* vid. Setser. *de jurament. L. 1. C. 20. n. 1.* 2) Infantiæ proximi, nec enim hi ullum habere intellectum, *d. §. 9. J. de inutil. Stipul.* nec ſcire quicquam aut diſcernere, *l. 9. ff. de acquir. vel amittend. hæred.* nec actum rei intelligere dicuntur. *d. l. 5. de R. J.* 3) pubertati proximi, vid. Gerbet. *de cautelis juramentorum in judicio obſervand. P. II. Sect. 2. c. 3. n. 8.* quia non anni, ſed intellectus & judicium, quem faciunt idoneum ad jurandum & ſe obligandum. Impubes quippe nec voto obligatur, *c. 11. X. de regular. c. 1. eod in 6.* nec jurejurando. vid. Hilliger. *ad Donell. Lib. XXI. c. 13. lit. D.*

§. III.

Addimus 4) prodigum, eum ſcil. qui per judicis ſententiam pro tali eſt declaratus, v. *l. 1. & 10. pr. de curat. furioſ. dand.* quia huic moraliter deficit conſenſus, & propterea ratione effectus, quoniam nimium obligando ſe & dilapidando bona, rerum ſuarum furioſum facit exitum, *l. 12. in fin. de tut. & curat.* ita

furio-

furioſis æquiparatur *l. 1. cit.* & uterque habetur pro errante, *l. 20. de aquæ pluv. arcend.* quod igitur ex errore nullum eſt, nec juramento confirmari poteſt *l. 14. §. 3. C. de N. N. P.* juramentum enim non ſupplet defectum conſenſus, *d. l. 14. §. 3.* 5) furioſum, 6) mente captum, quorum omnium juramenta præſtita nullius cenſentur valoris; aut enim deficit voluntas, aut intellectus, vel etiam utrumque, ut propterea niſi vitia, quibus dictæ perſonæ laborant, penitus ceſſent, atque de eorum intellectu & voluntate judici ſatis conſtet, ab his juramentum exigi nequeat, vid. STRUV. *S. J. C. Ex. XVII. th. 15.* quod ipſum in tantum ampliatur, ut ne quidem conſenſu curatoris interveniente, ex juramento tempore furoris & dementiæ præſtito obligari queant, vid. *l. 5. ff. de R. J.* MÜLLER. ad *Struv. S. J. C. Ex. XI. tit. 2. §. 15.*

§. IV.

Pergimus 7) ad ebrium; an hic ad juramenti præſtationem ſit admittendus? quod omnino negamus, *per c. 16. XXII. qu. 5.* juraturus enim juramenti vim & rem, de qua præſtandum eſt, intelligere debet, BALDUIN. *in caſib. conſc. Cap. IX. caſ. 5. in pr.* quo JUDICIO ebrius pene deſtituitur. vid. SETZER. *de Juram. Lib. 1. c. 6. num 8.* unde eſt, quod religioſi judices a teſtibus, aut aliis, nonniſi jejunis, & horis matutinis ſacramenta ſumunt, id quod in ſpecie etiam cautum in *Ord. Proc. Sax. Recog. ad Tit. IV. §. 5. p. 42.* ne forte vim juramenti & pœnam perjurii ſusque deque

que habentes, ac præ hebetudine mentis non conſiderantes ex levitate pejerent. Qualia perjuria judex, quantum poteſt, avertat. Sicuti autem celerius ad præſtationem juramenti per modo adducta neutiquam eſt admittendus, ſic etiam ipſum alteri juramentum deferre non poſſe, communiter ſtatuunt, *a. l. 17. §. 1. ff. l. 4. C. de jurejur.* & *l. 1. §. 12. ff. de O. & A.* conf. PUFFEND. *Lib. 1. C. IV. §. 8. d. J. N. G. & C.* Nec admittenda hic erit diſtinctio alias vulgaris inter *ebrium* & *ebrioſum:* in utroque enim duo conſenſus fulcra, *intellectus* & *voluntas*, deficiunt. vid. *Struv. S. J. C. Ex. VI. th. 35.*

§. V.

Dicta 8) merito etiam ad amantem veniunt applicanda, ſi ſcil. ita amore ſit captus, ut omnino careat rationis judicio, v. SETSER. *de Juram. lib. 1. C. VII. n. 2. & C. VIII. per tot.* Nihil enim, fatente JUSTINIANO *Nov. 74. c. 4.* amoris furore eſt vehementius, eumque retinere philoſophiæ eſt perfectæ; Et, AUCTORE PLAUTO, ſapientis judicis eſt, amantibus ignoſcere; Vis quippe & coactio ineſſe amori dicitur, ita ut aufugiat propemodum amantibus animus, ut apud ſe non ſint: amans enim amens communiter vocatur, & aliquando furioſo ſimilis videtur. 9) Huc referimus ſumme iratum, qui neutiquam ad juramenti præſtationem eſt admittendus; Homo enim, *inquit* SENECA, qui iraſcitur, extra corpus ſuum eſt; Unde etiam, qui iram deponit, ad ſe redire

Digitized by Google

redire dicitur. Sic TERENT. *in Adelph. tandem reprime iram, & ad te redi.* Nihil enim, tum in ſacris literis, tum aliis ſcriptoribus paſſim crebrius eſt, quam ut ira exprimatur per fervorem, ignem, flammam &c. Notanter igitur PAULUS *in l. 48. ff. de R. J.* Quicquid, *ſcribit*, in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum eſt, quam ſi perſeverantia apparuit, judicium animi fuiſſe. vid. SERAPHIN. *de* SERAPH. *privil.* 143. Si enim jurantis calor iracundiæ eſt tantus, ut mentis quaſi alienationem inducat, & uſum rationis impediat, nullum omnino eſt juramentum, nec ipſe exinde tanquam ex vero obligatur juramento; ſed de ſe ipſo dicere poterit: *Jurata lingua eſt: mente juravi nihil. Quæ jurat, mens eſt; nihil juravimus illa.*

§. VI.

Plures adhuc alios caſus, quando juramentum præſtitum vel plane eſt nullum, vel præſtandum omnino non eſt, facili adducere poſſemus negotio; quia vero LYNCKERUS, in diſſertatione erudita: *De jurisjurandi invaliditate* von ungültigen und vergeblichen Eydſchwüren *Jen. 1688. habita*, otium hic nobis fecit, ad illum L. B. qui plura hac de materia legere cupit, ablegamus. Nobis ſaltem hoc capite adhuc videndum reſtat, quanam ætate, vel quo anno, præprimis in Electoratu noſtro, vel ad jurandum aliquis admittatur, vel etiam, ut juret, cogatur?

§. VII.

Ante hac, quando a nondum majorennibus jurandum erat, varie inter ſe diſſentiebant JCti Saxonici; Utebantur *ſcil.* Pronunciantes in ſententia, ubi ab impuberibus præſtandum erat juramentum, clauſula: *Jusjurandum differendum eſſe:* Biß er ſeine Mündigkeit, ſive, ſeine mündige Jahre erreichet. Hæc formula, quia obſcura videbatur, aliter atque aliter explicata ab interpretibus fuit; Quidam enim, quos inter & Berlichium *P. I. Concl. XXXIV. num. 3.* deprehendes, clauſulam ſic intelligebant: *donec ad majorennitatem perveniant;* Alii vero, uti Carpz. *P. I. C. XXIV. d. 11.* formulam dictam vertebant: *donec ad pubertatem pervenerint;* idem *c. l. C. XII. d. 42. ſeq.* & in *Proc. Tit. XI. art. 2. num. 14. ſeqq.* Alii autem media incedebant via, tanquam tutiſſima, inque juraturo annum decimum octavum requirebant, quem pronunciandi ſtilum ſupremam Curiam Provincialem Lipſienſem, aliaque Saxonica Collegia obſervaſſe, teſtatur *Ill. de* Berger *in El. D. For. p. m. 534.* ubi etiam hunc in modum a ſummo Provocationum judicio pronuntiatum eſſe refert.

§. VIII.

Lis tandem omnis & Collegiorum Doctorumque diſſenſus ſublatus eſt, per *Ord. Proc. Recogn. ubi Potentiſſimus & Auguſtiſſimus Rex ad Tit. XVIII. §. 4.* conceptis verbis ſancivit: Wenn minderjährige das

18te

18te Jahr ihres Alters erfüllet, ſollen dieſelben, jedoch nach vorhergehender gnugſamer Erklährung und Erinnerung ohne Unterſcheid den erkannten Eyd ſelbſt ablegen. Si vero minor ex cauſa matrimonii promiſſi, vel imprægnationis, conveniatur, ipſique juramentum deferatur, jurare cogitur, modo *annum XVI.* adimpleverit, per *Ord. Proc. Recogn. d. l.* ibi: oder auch in Ehe- und Schwängerungs-Sachen nur das 16. Jahr ꝛc. Ubi ratione libidinis omnino deteſtandæ, in mentem venit caſus, qui quibusdam vix credibilis videbitur, de puellula quadam admodum laſciva, quæ jam ſexto ætatis anno exercendæ Veneris remedia adhibuit, atque propter hanc enormem morum malitiam *a JCtis Wittenbergenſibus*, ipſi Caſtigatio, quæ fit virgis, Züchtigung mit Ruthen im Gefängniß, dictata fuit. vid. *Ill. de Berger. El. Proc. Crimin. Membr. IV. §. 3. p. m. 141.*

Cap. IV.

De Juſtitia.

III. Jurisjurandi comite.

§. 1.

Juſtitiam inter reliquas virtutes omnes facile principatum obtinere, una fere omnium ſapientum vox eſt; Hesiodus *in operibus* virginem eam finxit, ex Jove prognatam, ipſis Diis immortalibus verendam, dum ſcribit:

Juſtitia virgo eſt, Jove prognata;
Caſta & veneranda Diis Cœlicolis.

Quo nil dici poteſt verius; Fons enim unicus omnis Juſtitiæ, imo Juſtitia ipſa Deus noſter eſt, quem Gentiles ſine omni dubio per *Jovem* intellexerunt. HOMERUS *Reginam* eam ſubinde appellat; PLATO & SOCRATES vero *vinculum humani generis*, *fulcrum Reipublicæ*, *fundamentum omnium actionum honeſtarum.* ARISTOTELES autem *Lib. V. Eth. Cap. 3.* diſerte profitetur, eam omnium virtutum præſtantiſſimam eſſe.

§. II.

Juſtitiam omni hominum generi, quicunque demum ſint, ſive in ſolitudine degant, ſive civitatibus, ſive honeſtum vitæ genus colant, ſive turpe & illicitum, ut latrones, neceſſariam eſſe & utilem, CICERO ſcriptum nobis reliquit; *Libro* enim *2. officior. Ergo*, ait, *etiam ſolitario homini atque in agro vitam agenti, opinio juſtitiæ neceſſaria eſt, eoque etiam magis, quod ſi eam non habebunt, injuſti habebuntur; & nullis præſidiis ſepti, multis afficientur injuriis. Atque his etiam, qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahenduque negotiis implicantur, juſtitia ad rem gerendam neceſſaria eſt. Cujus tanta vis eſt, ut ne illi quidem, qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine ulla particula juſtitiæ vivere. Nam qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut clam eripit, is ſibi ne in latrocinio quidem relinquit locum.* Paulo poſt: *Cum igitur tanta vis juſtitiæ ſit,*

Digitized by Google

ſit, ut ea etiam latronum opes firmet, atque augeat, quantam ejus vim inter leges & judicia in conſtituta Republica fore putamus. Et, PLATO ait, eam nos DEO ſimiles reddere, quantum quidem per humanam imbecillitatem fieri poteſt. Longius excurrere, deque Juſtitiæ definitione atque diviſione multa adducere inſtituti ratio non patitur; poteſt enim, cui volupe eſt, plura hac de materia legere, commentatores ad *Tit. Inſtitut.* & *Pandectarum de J. & J.* evolvere, ad quos etiam L. B. remittimus; late etiam hanc materiam expoſuit JOANNES EICHEL, in peculiari diſſertatione *de Juſtitia & Jure, Helmſtad. 1655.*

§. III.

Videndum igitur nobis ſaltem eſt pro materia ſubſtrata, de juſtitia, quatenus in materia juramentorum præciſe requiritur, ſi juramentum præſtitum effectum ſortiri debeat. Juſtitia autem *h. l.* ad duo plerumque a Doctoribus redigitur, 1) ut juraturus non niſi per DEUM, Creatorem cœli & terræ, conſervatoremque omnium juret; Juramentum enim per falſos Deos præſtitum non obligat ex ſe, nec eſt verum juramentum, quia non invocatur DEUS verus in teſtem, nec obligatio ejus ad religionem aut pietatem vere pertinet, cum in veri DEI contumeliam tendat, & actum idololatricum contineat. Obligat tamen *ideo*, quia proficiſcitur ex erronea conſcientia. *Confer. §. 8. C. 1.*

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Hinc quæritur, ſi nobis negotium ſit cum tali homine, qui a Chriſtiana religione diverſam, &, uti nos edocti ſumus, falſam amplectitur religionem, *an juramentum illi deferri, formulaque juratoria religioni juraturi, licet falſæ, attemperari debeat?* Quod omnino, ſi aliud remedium litium dirimendarum habere non poſſimus, affirmandum videtur; Exigendo enim juramentum, minime approbamus falſam religionem, & juramentum, inter exigentem & jurantem, conſideratur ut medium civile, quo controverſia vel negotium aliquod, quod aliter expediri non poterat, determinatur, hinc hactenus illud exigitur: Veritas aut falſitas religionis, ejusque vel approbatio vel reprobatio extra ſphæram hujus actus ſunt conſtituta; Et, inquit TITIUS, *Obſerv. ad Puffendorff. de O. H. & C. 261.* nimis ſuperſtitioſum foret, ſi quis ab eo, qui falſam ſectatur religionem, juramentum ſe ſalva conſcientia exigere non poſſe, arbitrari velit. Hinc ZIGLER. AD GROTIUM *d. J. B. & P. Lib. II. Cap. XIII. §. 12.* *Quin ſi*, ſcribit, *perpenduntur omnia, & imprimis, quod per juramentum idololatricum everſio tum Eccleſiæ tum Politiæ evitari poſſit, converti autem ad verum DEUM de præſenti non poſſit Idololatra, cum quo res eſt, etiam Idololatricum juramentum exigi per Principem Chriſtianum poſſe, abſonum non videtur*, vid. tamen FRANZK. *ad tit. ff. de jurejur. num. 13.*

§. V.

§. V.

Si objicere velis: Provocationem vindictæ divinæ eſſe de ſubſtantia juramenti, ergo ei, qui falſam fovet religionem, falſoque Deo jurat, hic nil metuendum eſſe; Reſpondeo *cum* TITIO *c. l. obſ. 262.* Provocatio vindictæ divinæ juxta formulam falſæ religionis factam, proprie quidem nec juramentum, nec perjurium eſt; Aſt, utriusque effectum habere poteſt; ſi enim quis metu numinis ſui fictitii, in ultionem provocati, verum dicat, aut quæ juramento aſſeruit, promiſit &c. ſervet, effectus juramenti veri obtentus eſt, & quod volebas, habes; Si vero, ſpreto Numine falſo, mentiatur aut fallat, ille contemtus ad verum Deum etiam porrigitur, adeoque pœna perjurii metuenda eſt, quia, dum ſciens pejeravit, divinæ Majeſtatis reverentiam, quantum in ſe, violavit. PUFFENDORFF. *de O. H. & C. Lib. II. C. XI.* §. 4. Notanter itaque GROTIUS, *Lib. II. de J. B. & P. C. XX.* §. *ult.* Qualiacunque, *inquit,* quæ putantur, Numina pejerata *a vero Numine* vindicantur.

§. VI.

Hæc de vero DEO, qui ut vindex invocandus, ſi juſtum dicendum ſit juramentum; requiritur

Digitized by Google

autem etiam 2) ſi juſtitia adeſſe debeat, ut id, quo de juramentum præſtandum, *ſit poſſibile atque honeſtum*, per *Cap. Et ſi Chriſtus, 26. X. de jurejur. ibique Commentator:* quia alias juramentum fieret vinculum iniquitatis, cum tamen eo ſit inſtitutum, ut vinculum eſſet juſtitiæ. vid. *C. XIIX. X. de jurej.* & per conſequentiam finis ejus plane everteretur, vid BEUST. *ad Rubric. de jurejur. num. 37.* Facta itaque, quorum intuitu juramenta exiguntur, ſunt vel licita, vel illicita; De factis licitis autem hic nobis ſermo non eſt, quoad hæc enim juramenti delationem recte fieri poſſe, nemo forſan inficias ibit. Ratione factorum autem illicitorum, tam legibus, quam natura talium, juramentum neque exigi, neque præſtari poteſt. Sicut conditio natura vel lege impoſſibilis, contractui affirmative adjecta, ipſum reddit nullum, vid. *l. 31. ff. de O. & A.* Sic etiam juramentum intuitu horum negotiorum vel plane præſtandum non eſt, vel præſtitum nullum habere poteſt effectum, quoniam actus per ſe nullus, robur aliquod per juramentum adjectum accipere nequit, & inſuper juramentum ſequitur naturam iſtius negotii, cui adjicitur.

§. VII.

§. VII.

Ad facta illicita in ſpecie referuntur, quæ juri divino, naturali & bonis moribus ſunt contraria, hæc enim moraliter pro impoſſibilibus habentur, & juramentum ratione horum præſtitum adeo eſt iniquum atque injuſtum, ut in caſu contingente abſolutio neceſſaria non ſit. *Can. 5.* ibi : *in malis promiſſis reſcinde fidem : Impia enim eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.* item *Can. 3. 4. 10. XXII. qu. 4. l. 15. ff. de condit. inſtitut.* Felde *ad* Grotium *de J. B. & P. L. 2. c. 13. num. 6.* Et huc referuntur juramenta immediate contra publicam utilitatem, vel in tertii præjudicium præſtita. *C. 28. in fin. X. de jurejur.* Unde, qui juravit, ſe nolle ſecreta revelare, ſi in teſtem producatur, nihilominus veritatem dicere tenetur, vid. Antonius del Re *de Juram. calumniæ, Cap. 15. num. 17. & 18.* Nec proinde incidit in perjurium, ſecundum communem Doctorum opinionem. Gail. *lib. I. obſ. 100. num. 4. & 5.* Neutiquam enim eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum. *Cap. 58. de R. J. in 6.* quo loco contra bonos mores intelliguntur, quibus præcipitur, *quod moraliter turpe eſt ;* interdum enim etiam civiliter boni mores accipiuntur, ut in *l. 61.*

ff. de V. O. ubi pactum de futura ſucceſſione dicitur contra bonos mores.

§. VIII.

Factum igitur, de quo jurandum per præcedentes §§os licitum & decens eſſe, remque honeſtam continere debet, quoniam turpia ſub obligationem non cadunt; unde requiritur ex parte materiæ, *tendat ad bonum ſub ratione debiti;* declinet a malo, i. e. non contineat damnum vel præjudicium alterius: Alias enim & jurando quis peccaret, & implendo crimine cumularet. Sic invalidum eſt pactum juratum etiam, v. g. pignoribus adjectum, ut debito dicta die non ſoluto, pignus ſit commiſſum, i. e. Creditori cedat. *a. l. 7. §. 16. ff. de pact.* Jure cononico quidem tale pro valido agnoſcere volunt, *a. c. 7. X. de pignor.* Quia vero plane *juſtitia* deſtituitur hoc juramentum, rectius negandum videtur, cum Ludov. *in Doctrina Pandect. Tit. de pignorat. actione §. 9.* Quæ in tantum ampliari ſolent, ut non liget juramentum, licet ab initio ſit licitum, ex poſt facto tamen caſus contingat, quo juramentum ſervari nequeat: v. g. Si quis Juramento ſilentium promiſerit, & illiciti quid contingat, quod revelatione

impe-

Digitized by Google

impediri poſſit. vid. Brunnem. *in prælect. ad Tit. Jur. Can. de R. J. in 6. Reg. 58. n. 5.*

§. IX.

Quæritur autem quid ſentiendum ſit de juramento, quod aliquis alteri præſtitit de re ſibi concredita non detegenda? an juſtum & ſervandum, an vero pro nullo tale juramentum ſit habendum? Diſtincte hic reſpondendum eſſe putamus: ſi ſcilicet is, qui juravit, ſpe lucri vel animo ulciſcendi fidem juratam frangat, tunc omnino perverſe revelantis cogitationes rem efficiunt iniquam, *a. c. 14. & c. 45. XXIII. qu. 5.* deſcendit enim obligatio ſervandi ſecretum, nec illud manifeſtandi, ſive ſit ſimplex, ſive juratum, ex ipſo Jure naturæ; Hinc prodens arcana cum proximi famæ læſione contra *juſtitiam* peccat, licet plane nulla intervenerit obligatio de illo non prodendo; odioſiſſima enim res eſt proditio, & proditorie quid facere. vid. *l. 2. pr. ff. de jure fiſc. l. 3. & 4. C. de delat.* Aliud vero exiſtimandum, quando *v. g.* concreditum tendit in perniciem Reipublicæ; hoc enim manifeſtandum eſt, etiamſi juramento ſilentium ſit promiſſum, cum quilibet ſalutem Reipublicæ quocunque modo tueri

Digitized by Google

in conſcientia ſit obſtrictus; vid. *l. 5. §. id quod. C. ad L. Jul. Maj.* Reſpublica enim non proemiis tantum, ſed & pœnis conſervatur, adeoque ejus intereſt, nocentium crimina eſſe nota, *l. 51. §. 2. ad L. Aquil.* Judex quippe non ſemper omnium delictorum notitiam habet, nec habere poteſt, propterea juramentum hoc caſu præſtitum, *juſtitia* deſtituitur, & pro nullo habendum, conf. *C. 4. X. de furt.* JOHANN. VALER. *in differ. utr. for.* ſub voce: *Denunciatio, differ. 2. & 3.* GERDESIUS, *in differt. de Jure Revelationis, Gryphiswald. 1673.*

§. X.

Atque hæc ſunt, L. B. quæ de hac ardua, pernecesſaria, ſimul etiam practica materia, hac vice conſcribere, & quaſi primas lineas tantummodo ducere licuit: Fatemur enim, in hoc ſcribendi genere negotio non adeo difficili, Tractatum integrum colligi poſſe. Cum vero partim temporis ratio habenda mihi ſit, partim etiam limites Diſſertationis Academicæ excedere noluerim, filum abrumpendum eſſe, ac reliqua, quæ forſan *vel* clarius dici, longius deduci, aliterque proferri potuiſſent, *vel* plane hic omiſſa videntur, alii tempori reſervandum cenſui.

Si

Digitized by Google